

IOANNES FRANCISCUS CITO
(1525-1527)

H. U. M. Moris. mio obsecrato.

G'us' h'ist'ra g'ui c'ho' n' macro fr'echi li Cavalli d'li person' p'f'li n' del grande oltra'
il solito ho n'occhi' p'li tutta Moravia e Slesia. Ma quello ch' l'pri' mi p'sa. i' ch' n' ho trovato
qui n'uno. a M^{re} del R^e parti son bog' x' giorni et li andato in Prussia dove dico
c'oggi' g'ra' d'ra' d'li signori' di quelle parti li particolar'i d'cio n'ho a'che n' p'sso.
to m'edet'. (ar R^e Regno) d'co' d'li qui' guarr miglia. ho tr'p'lit' g'ra' matina un m^o.
dimani l'appello. Li p'ch' part' r'f'ch'nt'li. questo m'esso n'ho valere p'rocl'm' g'ra'.
opportunita' p'li cl're' d'adice' di quel n'lo' si puo.

Se' so' m^o. ma ch' l'om' s'io' sia r'stata appriso la R^e Regno delli cogli' miei. ogni h'ore mi
dice ch' s'io' u'ghie andato ar T'ronard la M^{re} Regia. m'no d'feso dala mia' d'ritta' p'li
di Miglia. Dece' Italiani. si ancora u'ghie aspettar' g'ra'. m'fer' a'cesar' d'ra' p'li ogn'
rispetto. p'f'st'ri' ch' n' credo u'ghie il M'orosita' tuto r'manente'. T'ra' d'cio aspettar' il
c'ogli' d'la' s' Regia. q'ast' s'ion' li fr'echi d'ci'c'issimi ch' r'ac'g'lio del b'ro' (v'ntio' di
verit'). q' n' p'ssi' f'ato sp'gnato quel tipo li cui' t'ro' i'commodo et perd' m^o. q'g'm'c'z'li m^o
str'ut'li s'uccesa' a' p'lo. et in q'ista' f'asca' s'enz' d'ubbi' f'ut'li' s'or in "l'ofosia". Ma s'pr' n'
si po'. Chi de' ci' i' p'ro' cauf' l'or'w' p'ro'ug'li' la d'cima' parte' di q'ello p'ro'ce' s'f'ide' q'el
p'rdon'

T'ronai il Vescou' Olimac'li' m' st'ri' un giorno c' molta brama. Et mi mostro' una lis' del R^e
de' H'ngaria' ch'li' s'pn'liu' che s'ir'g' altra' l'aliana' d'lettri'li' R^e li b'ni' c'ust'adi'li' il Proposito
Cimelli' suo suffrag'anto. p'li ha'nt' cor'at'la mattina n'no' cu' vna' Morache nobille' et il
di parti'li' parti' anchora' s'ia'. p'li f'are d'li' effetto. Poi mi d'f'st' ch' q'ast' r'ut'ra' la
Moravia' era m'feta' d'li' f'ec' (subtr'ana). et p'f'st'ri' gla' Castelli' assai' m'f'g'nd' ch'li' ad
sug'f'st'ion' di un'Isido' sperare. han'liu' im'nat' tutto' l' r'io' arr'g'no' del' d'ci'um' off'ni'
e ch'li' p'nt'ua' p'vi'ol'ento' f'erga' la p'ntia' del R^e.

E' no' d'li' an'li' cop'po' m's'c'nt'ario del R^e de' H'ngaria' d'Adria' m' Olimac'li' ad p'li.
parare' le' s'rat' p'li C'nc'ro' di d'cio' R^e di q'ui' d'li' T'olomeo' et de' F'erdinando.

d'ci'us' p'f'st'li' p'f'st'li' di 5^o fo' 56^o. Il ch'li' n'li' p'li' c'afa' ossai' d'ff'ic'li'. p'li c'li' si def'ro'
p'li il R^e de' Polonia'. Et' c'ndo' p'f'st'li' a'quel' tipo c'p'nt'li' li' cogli' l'au'rich'li'
"il tempo" li' cogli' di qua' n' s' d'li' m'nti'. p'li eff'ro' p'li' b'ro' v'si'li' e' p'li' m'nt'li' c'nt'f'fato' cu' vi'
no. Altre man'g' m'no' n' acc'li' j'ro' b'rmel'li' li' b'g'li' li' 5^o piedi ar'rt'. et r'amm'li'li'
li' cogli' m'li' cu' g'ra' d'f'st'li' p'f'st'li' ar'rt'li'. Dar Cracovia' cu' d'li' primo di Marzo

M. 10 27 VI

D. c. R'ent'li'.

H'nn'li' for

El' vescou' S'c'nt'.

Epistula autographa Ioannis Francisci Cito ad Iacobum Sadoleto, data Cracoviae 1 III 1526 (cfr. N. 23)

(AV, AA I-XVIII, ms. 6522 f. 75r-v)

N. 1.

Facultates

**a Clemente VII, pontifice maximo
Ioanni Francisco Cito concessae**

Romae, 16 XI 1525.

Impertit ei, praelato suo domestico, quem hodie ad car. mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae Regem illustrem, et dilectum filium, nobilem virum Basilium, Ducem Moscovitarum, et eorum dominia et alia loca Regi Poloniae^{a)} subiecta, pro nonnullis arduis universae Sanctae Ecclesiae et salutis reipublicae christianaे peragendis negotiis, suum et Apostolicae Sedis nuntium destinavit, facultates indulgendi, iudicandi, dispensandi et diversas gratias conferendi. (Tenor bullae facultatum idem est, mutatis mutandis, ac earum, quae a. 1519 Zachariae Ferreri a Leone X concessae erant - vide Ferreri N. 11 - omissa tamen parte introductorya, quae immediate sequitur inscriptionem).

^{a)} In ms. erronee: Ungariae

Reg.: AV, Reg.Vat. 1280 f. 323v-327v.

N. 2.

**Clemens VII, pontifex maximus
Ioanni Francisco Cito**

Romae, 16 XI 1525.

Cum haeresis Lutherana in Polonia magis ac magis spargatur et episcopi earum partium in ea supprimenda negligentes exstant, impertit ei facultatem in tales haereticos, illis adhaerentes ac eorum fautores et receptatores inquirendi eosque excommunicandi, infames declarandi et sepultura ac bonis privandi; necnon his, qui adversus illos arma sumerent, diversas gratias spirituales concedendi.

Reg.: AV, Reg.Vat. 1280 f. 331r-332r. In margine ad caput textus alia manu: "Hie[ronymus] Vasion".

Clemens etc. Ven.li fratri Francisco Epo Scarensi, ad char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae Regem Illustrem, ac dilectum filium, Nobilem virum Basilium, Ducem Moscovitarum, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio, salutem etc.

Apostolicae Sedis prudentia circumspecta contra haereticae pravitatis labe respersos, quorum nequitia serpet, ut saepius in aliorum perniciem sua venena diffundat, sed pro eorum versutiis et pravis conatibus compescantur, remedia adhibet opportuna. Cum itaque, sicut accepimus, licet felicis recordationis Leo papa X, praedecessor et frater patruelis noster, non solum Martinum Lutherum, qui certos articulos, ut haereticos et veritati catholicae obviantes et perditos, de fratrum suorum consilio et assensu, intra terminum sibi ad illos revocandum, per eundem Leonem praedecessorem praefixum, revocare et de eorum revocatione fidem facere contempserat, verum etiam eius complices et illi adhaerentes, illorumque fautores et receptatores haereticos esse declaraverit, et ne morbida pecus gregem inficeret pecusque sincera ad infectionem traheretur, omnibus et singulis ecclesiarum praelatis et aliis personis ecclesiasticis, ut Martinum, complices et adhaerentes, illorum fautores et receptatores in eorum ecclesiis, dominicis et aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatos, maledictos et anathematizatos publice indicarent et declararent, mandavit¹.

Tamen ordinarii locorum Regni Poloniae et aliorum locorum, ad quae Fraternitatem tuam pro nonnullis urgentissimis negotiis, rem publicam christianam concernentibus, nostrum et dictae Sedis nuntium et oratorem destinamus, in huiusmodi mandatorum executione negligentes fuerunt et propterea errores dicti Martini ad Regna ipsa pervenerunt [.....]a) illicque quamplures huiusmodi haeretica labe infecti ipsique [331v] Martino adhaerentes et eius errores ac scripta sequentes existant, Nos huic veneno haeresique nefariae ac labi pestiferae, pro gregis dominici nobis commissi salute, omni salubri remedio, quo possumus, accurrere ac opportunam adhibere medicinam cupientes, eidem Fraternitati tuae, quae in Sacra Theologia inter theologos nostri temporis non mediocrem locum tenet, contra tales haereticos et illis adhaerentes, eorumque fautores ac receptatores in Regni illius provinciis et locis, ad quae Fraternitatem tuam declinare contigerit, existentes, inquirendum et huiusmodi haeretica labe infectis, si ab eadem Fraternitate tua moniti ad cor redire neglexerint, primo a Sacrosanctae Romanae Ecclesiae communione, velut putrida membra, separatos et divisos esse

¹ Vide bullas "Exurge Domine" et "Decet Romanum Pontificem", a. 1520 et 1521 editas, de quibus supra, Ferreri N. 37 et 44.

et damnationi aeternae. cum Sathan et angelis eius, addictos ac perpetuo infames et intestabiles esse; castra, terras, fortalitia et bona eorum quaelibet, mobilia et immobilia, cuivis fidelium licite et impune invadere, occupare et sibi acquirere licere; personas eorum captivare ac in perpetuam servitutem abstrahere; corpora eorum, postquam defuncta [sic] fuerint, sepultura ecclesiastica carere debere, auctoritate nostra decernendi, denunciandi et declarandi, sub gravissimis quoque poenis et censuris, de quibus sibi videbitur; universis et singulis christifidelibus, quibus ad terras, loca et domos ipsorum haereticorum et illis adhaerentium seu fautorum et receptatorum eorundem, postquam pro talibus declarati fuerint, granum, vinum, oleum et quasvis merces deferre seu deferri facere nullo modo praesumant, expresse inhibendi, mandandoque ut in omnibus et per omnia eos, tanquam Crucis Christi inimicos, impios habeant, reputent et vitent, donec ad cor reversi, haereticae huiusmodi pravitatis errores et opiniones demiserint et veritatem catholicae fidei audire et capere voluerint.

Absolutionem vero illorum, quos, praemissa ad eos [332r] deferendo vel cum eis communicando, poenas et censuras eis praeinfligendas incurgere contigerit, nobis et successoribus nostris, Romanis Pontificibus, ac Fraternitati tuae durante huiusmodi officio nuntii et oratoris, per nos tibi commisso, reservamus. Universis quoque regibus, principibus, episcopis et aliis christifidelibus, qui a te requisiti, sumptis armis, adversus huiusmodi haereticorum personas, iuxta tempus a te praefixum, militaverint, seu qui legitimo detenti impedimento, alium in huiusmodi militiam expeditionemque suis sumptibus transmiserint, ut confessor [competens], saecularis aut cuiusvis ordinis, etiam mendicantium, regularis, quem quilibet eorum duxerit eligendum, remissionem suorum peccatorum, de quibus, corde contriti et ore confessi cum fuerint, semel tamen in vita et in mortis periculo, plenariam remissionem, auctoritate nostra concedere valeat, licentiam concedendi; ac omnia et singula alia in praemissis et circa ea [.....]a) quomodolibet ad plenam praemissorum executionem opportuna faciendi, mandandi, disponendi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate apostolica, tenore praesentium damus et concedimus facultatem ac etiam potestatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Nativitatis millesimo quingentesimo vicesimo quinto, Sextodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Visa de man[dato]. B. Gentilis

A. de Carboniano

Coll[ata]. P. Pau[lus] Arditinus

a) *Verbum illegibile.*

**Litterae credentiales Clementis VII
pro Ioanne Francisco Cito
Sigismundo I, regi Poloniae, datae**

Romae, 18 XI 1525.

*Recordatur, quomodo iam tempore Leonis X, Paulo Centurione Genuensi
mediatore, aliquae relationes inter Sanctam Sedem et Basilium, magnum du-
cem Moscoviae, initae et nunc, misso etiam oratore ipsius ducis Demetrio
Erasmi (Gerasimov), solidatae fuerint. Ideo, spe unionis Ecclesiae Graecae cum
Romana innixus, nuntium suum ad eundem ducem, Ioannem Franciscum (Ci-
to), epum Scarensem, mittit, cui se in commissis dedisse asserit, ut in omnibus
eius consilio et auxilio utatur; eumque commendat.*

Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 354r-355r. In f. 355v alia manu: "Anno secundo.
1525. Novembbris XVIII. Regi Poloniae pro Epo Scarensi".
- Ed.: Theiner VMPL II, p. 433-434.
- Ed.: Balan, p. 183-185.

Regi Poloniae

Carissime. Anno praeterito, cum dilectus filius Paulus Centurio, civis
Genuensis, mercaturaे cuiusdam, ut ipse dicebat, tractandae et ordinandae
causa in Moscoviam profecturus esset, sibique cum illo duce diceret cognitio-
nem quandam et familiaritatem intercedere^{a)}, petiit litteras a nobis com-
mendatitias, quod eas sibi magno usui apud illum futuras affirmaret, quan-
do et a felicis recordationis Leone X, praedecessore et patruele nostro, simi-
libus litteris obtentis, multum illae sibi apud eundem ducem profuissent².
Quo huius hominis consilio intellecto, cum, inspirante nos Domino, aliquid
amplius quam eum commendare cogitavisset, dedimus quidem litteras,
sed quibus magis etiam illi duci concordiam et unionem cum Sancta Sede
Apostolica christianisque principibus commendabamus eumque invitaba-
mus quodammodo, ut nobis ipsius amicitiam et coniunctionem appetenti-
bus, se benignum et facilem exhiberet. Quibus litteris effectum est ut dux
ipse Moscorum hominem suum ad nos cum litteris mitteret, prae seque fer-
ret desiderium facienda nobiscum coniunctionis, modum autem et consi-
lium a nobis quereret.

Quas res hactenus non dubitamus Serenitati tuae fuisse notas, atque eo
etiam notiores, quod ambobus illis, et Paulo et Demetrio Mosco, per regni tui

² Paulus Centurione, munitus litteris commendatitiis Leonis X, fecit hoc primum iter suum ad Mo-
scoviam exeunte a. 1518, cfr. Pierling IR, p. 11.

regiones transeuntibus, tantum tu humanitatis et liberalitatis nostra causa exhibuisti, ut pro isto tuo praestanti officio maximam quoque gratiam tuae Serenitati nos debere profiteamur. Paulum quidem ipsum, licet non noster homo esset, sed suo nomine iter haberet, tamen quia ille nomen nostrum in necessitatibus suis apud te praetulit, quid illi defuit ^b-ullo in ^b- genere beneficentiae tuae, quod vel affini nostro praestare potuisses³. Verum haec erunt infixa in animo nostro ad memoriam tuae humanitatis sempiternam.

Illud, quod ad susceptum negotium pertinet, cum hoc principio amicitiae et cognitionis facto, Demetrioque^c ipso auditio, cogitavimus colere^d Deum, quandoque vel minima scintilla parvi boni maximum charitatis conflare incendium, non duximus occasionem praetermittendam ac, ut primum potuimus, elegimus ven.lem fratrem ^{(e)-Ioannem Franciscum^e}, eum Scarensem, virum probum et prudentem et doctum, in magnis rebus cum laude et optima fama versatum⁴, cui nos magnam fidem habemus, quem ad ipsum ducem Moscoviae mitteremus ad tentan[354v]dum et experiendum, si interdum studio animi nostri, flagranti ad sui nominis honorem et christianitatis commodum, aliquem aliquando feliciorem exitum ^{(e)-nostrorum conatum^e} concedere dignaretur. Nam adhuc quidem cum nostra omnia consilia atque acta semper ad pacis et religionis et fidei catholicae studium et stabilitatem et ornamentum contulerimus, parum prosperos eventus sumus experti, repugnante nostris piis desideriis vel procella temporum vel ira Dei debita, quam tot peccata nostra vetera concitarunt. Neque tamen desistimus sumusque destituti. Scimus enim qui dixit: Qui perseveraverit, hic salvus erit⁵. Non sumus digni fortassis^e tanta Domini gratia, at erimus non indigni illius misericordia, qui^f conscient bonae nostrae voluntatis mentem ipsam probabit, etiamsi actionibus nostris minus ^{(g)-fuerit propicius^g}. Quamquam et eventus prosperi et rectae^h voluntatis donum ex Deo est, hac fide et spe erga Deum armati, nec laboribus, nec sumptibus, nec curis animi ponimus modum, dum aliquid bonae salutis in christiana republica afflcta et laborante constituere possimusⁱ, nec Nos, aut nostra et huius Sedis paupertas, aut odium hominum et furor ardantium haeresum deterret. Sed non est opus ista cum Serenitate tua, quae omnium non inscia est, pluribus verbis exponere. Nos^j, priora copta non relinquentes, hanc novam provinciam, domino Deo inspirante, aggressi sumus, ut cum duce Mosco experiamur ecquid illi possimus verae fidei catholicae cultum et amorem pacis cum christianis principibus, ac praeципue cum Serenitate tua, immittere et insinuare. Sed ita spe nitimur effici aliquid posse, si tua proba mens, si sapientia, si consilium, si animi aequitas nobis auxilio fuerit, vel potius, si^e tu Nos quasi manu in iter rectum deduxeris.

³ Vide supra, Buglio N. 11, 16.

⁴ Missiones Ioannis Francisci ad Maronitas in mente habet, v. Introductionem.

⁵ Matth. 10, 22 et 24.

Mandavimus igitur praedicto episcopo, nuntio nostro, ut apud Serenitatem tuam ita exponeret et aperiret omnes huius rei cogitationes nostras, ut non solum auxilium a te, sed etiam consilium rerum omnium peteret. Qui quid habeat in mandatis, ^{k)} ipse tibi copiosius referet^{k)}. Tua Serenitas, ut illum instruat et moneat, et quae^{l)} agenda aut cavenda illi fuerint, eum plene edoceat, magnopere illam obtestamur^{m)}. [355r] Ac ut celeriter eum expeditat etiam desideramus, cum tanti itinerisⁿ⁾ longinquitas et rerum omnium difficultas requirat celeritatem. Sine te quidem et sine opera prudentiaque tua, facile Nos agnoscimus, frustra a nobis laborem susceptum iri. Sed ita confidimus, temperantia^{o)} et animi magnitudine tua, ut cum Nos tuum honorem et commodum primarium^{p)} in re hac habeamus et potissimum speremus, ut tibi imprimis satisfiat. Te quoque non dubitemus, si necesse fuerit, ad omnem conditionem^{q)} et facilitatem, Dei omnipotentis et fidei catholicae causa, esse deflexurum. Sed de his ab eodem nuncio nostro uberior intelliges et fidem illi summam habebis. Nos ita Deum praecamur, ut nostris actionibus propitius esse velit, si ex illis nullam nostram propriam utilitatem, sed tantum illius honorem et humani generis salutem commodumque ^{e-}christianae reipublicae^{-e)} expetimus.

Datum ^{r-}Romae etc., die XVIII Novembris M.DXXVI, anno secundo^{r-}.

- a) *Correctum ex: intervenire*
- b-b) *Adscriptum supra pro duobus verbis penitus expunctis.*
- c) *Suprascriptum pro expuncto: Ersamo*
- d) *Sequitur expunctum: domino*
- e) *Adscriptum supra.*
- f) *Sequitur expunctum: optime*
- g) *Suprascriptum pro expuncto: auxiliabitur*
- h) *Sequitur expunctum: ipsis*
- i) *Sequitur expunctum: non nos*
- j) *Sequitur verbum penitus expunctum.*
- k-k) *Suprascriptum pro expuncto: non solum sermone, sed instantionibus tibi*

- ostendet.
- l) *Sequitur expunctum: cavenda aut*
- m) *Sequitur expunctum: Habet ille in praecptis, ut si qua tibi minus grata fuerint, prorsus abstineat ab iis. Tu vero, si qua eum*
- n) *Sequitur expunctum: diff*
- o) *Sequitur expunctum: animi*
- p) *Suprascriptum pro expuncto: potissimum*
- q) *Suprascriptum pro expuncto: aequitatem*
- r-r) *Alia manu.*

N. 4.

**Litterae credentiales Clementis VII
pro Ioanne Francisco Cito
Basilio III, magno duci Moscoviae, datae**

Romae, 18 XI 1525.

*Gratias agit pro litteris et oratore ad se misso. Libenter accipit propositum
arma adversus Turcas cum aliis principibus christianis uniendi et, ut de hac re*

ac etiam de unione ecclesiastica ineunda tractetur, mittit nuntium suum Ioannem Franciscum (Cito), quem commendat.

Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 352r-v. In f. 353v alia manu: "Anno secundo. 1525.
Novembris XVIII. Duci Moscoviae pro epo Scarensi".

- **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 433.
- **Ed.:** Balan, p. 182-183.

Duci Moscoviae

Dilecte fili, s[alutem etc.]. Summa cum laetitia nostra accepimus tuae nobilitatis litteras et nuntium tuum Demetrium Erasmi vidimus, hominem solerter^{a)} et in tuis mandatis exponendis accuratum, quae tamen mandata omnia litteris continebantur⁶. In quibus ostendis te velle esse nobiscum et cum aliis christianis principibus adversus infideles et Christi inimicos coniunctum, ac etiam nos hortaris, ut hominem ex nostris ad te mitteremus, qui omnia nostra consilia posset tibi significare. Quod fecimus libentissime, missimusque ven.lem fratrem^{b)}Ioannem Franciscum^{b)}, eum Scarensem, virum plenum prudentiae et boni spiritus, cuius nos opera et industria in magnis rebus saepe usi sumus et cum quo loquimur confidenter omnia consilia nostra. Nam antea dilectus filius Paulus Centurio, civis Genuensis, non a nobis missus fuit, sed cum is ad tuam nobilitatem ob alias causas veniret, dedimus illi litteras nostras⁷. Quas plurimum gaudemus tibi fuisse acceptas, fecerunt enim, ut tu hominem tuum ad nos et munera etiam nobis gratissima mitteres, non quod multum curemus munera, sed tuam illam benignam et humanam voluntatem erga nos supra omnia^{c)} habemus gratissimam.

Quoniam autem et de coniunctione nobiscum ac unione contra infideles promittis nobis omnia, quae fortissimus et maximus princeps, Christum Deum agnoscens, Romano pontifici, beati Petri successori, promittere potest, et queris a nobis modum, quo pacto^{d)} ista coniunctio fieri possit et debeat, iste ven. lis^{e)} nuncius, quem mittimus, de omnibus te plenissime instruet et omnia desideria nostra tibi aperiet. Cui, rogamus nobilitatem tuam, ut tantam fidem habeat tantumque credat, quantum nobis ipsis credere, si te praesentes alloqueremur, eumque benigne et prompte ad nos remittat, ubi nostra consilia^{f)} sibi significaverit, sicut etiam nos benigne et cum cura atque amore tuum nuncium tibi remittimus.

In his autem litteris non scribemus omnia, quae tecum agenda sunt, quoniam nuncius noster ore et verbis largius et melius illa declarabit, quem^{g)},

⁶ Epistula ducis Basillii III, per eius oratorem Demetrium Gerasimov adportata, desideratur. De ardenti acceptance Demetrii Romae medio Septembre 1525 v. Pierling IR, p. 34.

⁷ Vide infra, Buglio N. 16; cfr. Pierling IR, p. 31.

iuxta tuam [352v] egregiam humanitatem et sapientiam, libenter et attente audies. Illud solum scribemus, petere et orare nos ab omnipotente Deo, ut tua voluntas sit ita erga nos prompta et benivola, sicuti nostra erga te est; et tibi promittere, si, ut cupimus, fiet desiderata coniunctio, ea te experturum esse nostra et huius Sanctae Sedis in augmentum honoris et dignitatis tuae studia (^{h-ac} beneficia^{-h}), ut re ipsa sis cogniturus nos sincero animo, optima fide, incomparabili amore tibi et praeclaris tuis virtutibus affectos esse et semper fuisseⁱ), sicut de his et aliis ab eodem ven.li nuncio nostro tua nobilitas latius intelliget. Datum ^{j-Romae, XVIII^k} Novembris M.D.XXV, anno secundo^j.

- a) *Adscriptum supra pro expuncto:* prudentem
- b-b) *Adscriptum supra pro expuncto:* Bartholomeum
- c) *Sequitur expunctum:* alia
- d) *Sequitur expunctum:* illa
- e) *Adscriptum supra.*

- f) *Suprascriptum pro expuncto:* mandata
- g) *Sequitur verbum penitus expunctum.*
- h-h) *Suprascriptum proexpuncto:* atque opera
- i) *Sequitur expunctum:* Datum
- j-j) *Alia manu.*
- k) *Sequitur expunctum:* octo

N. 5.

**Clemens VII, pontifex maximus
Bonae, reginae Poloniae**

Romae, 18 XI 1525.

Nuntium suum, Ioannem Franciscum (Cito), epum Scarensem, atque negotium ab eo in Moscovia tractandum commendat et petit, ut apud consortem suum illud adiuvet.

Min.: AV, Arm. 40, ms. 10 f. 363r-v.

[Repetit, mutatis mutandis, fere omnia, quae in litteris commendatitiis ad regem Sigismundum I scripsit de praemissis et causis missionis Ioannis Francisci Cito, cfr. supra, N. 3], cui mandavimus, ut omnia nostra consilia et sensus circa eam rem communicaret et participaret cum Serenitate tua. Nos, et si non dubitamus te, pro tua in Deum pietate et mente rectissima^{a)}, singularique in Nos et hanc Sedem observantia, eidem episcopo nulla in re defutaram^{b)}, tamen magis ex officio nostro, quam necessario, hortamur Serenitatem tuam impensius in Domino, ut totam hanc provinciam, quam Nos pro sanctissima fide, auctore Domino, freti etiam maximo Ser.mi coniugis tui et

Serenitatis tuae auxilio, consilio et auctoritate assumimus, velis omni opera, gratia, favore, tum apud ipsum [363v] coniugem tuum, tum apud quemcumque et ubicumque opus fuerit, adiuvare, teque nobis in hoc pio et salutari opere se adiungere, et praefatum episcopum, nuntium nostrum, dirigere atque commendatum habere, eique in omnibus, quae tibi circa has nostro nomine referet, fidem indubiam adhibere. Quam rem Serenitati tuae in coelis proemium, in terris vero gloriam et laudem comparaturam pro certo nobis pollicemur, Domino ac Deo nostro freti. Neque vero nos huius tanti officii unquam futuri sumus immemores^{c)}. Romae etc., die XVIII Novembris M.DXXV, anno secundo⁸.

a) *Adscriptum supra pro expuncto: sanctissima.*

b) *Sequitur expunctum: eodemque hanc provinciam, quam, Deo auctore, pro sanctissima fide*

assumimus, omni opera, consilio, auctoritate adiuturam.

c) *Sequuntur duo verba penitus expuncta.*

6-13.

Clemens VII, pontifex maximus 4 praelatis et totidem nobilibus Polonis

Romae, 18 XI 1525.

Exponit causas missionis Ioannis Francisci (Cito), epi Scarenensis, in Moscoviam (ut in N. 3, sed magis concise), de quibus ad regem Poloniae affectuose scribimus. Sed cum tua quoque Fraternitas nobis possit apud eundem et alibi esse adiumento, hortamur eam summopere in Domino, ut coniungere nobiscum suas curas et sollicitudines ad tam paeclarlam rem perficiendam velit, agereque cum isto optimo et praestantissimo rege, necnon apud alios, ubi opus fuerit, ut praedictus nuncius noster benigne accipiatur ac singulari regis sapientia tuisque monitis dirigatur.

Min. I: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 356r. Ad caput textus alia manu: "In Poloniam", et ad finem item eadem manu: "4 praelatis, 4 nobilibus". In f. 356v annotatio ut in N. 1-2, mutatis mutandis.

- **Ed.:** Balan, p. 186.

Min. II: AV, Arm. 40, ms. 10 f. 371r, pars sinistra (alia forma).

⁸ Eodem die commendabat summus pontifex eundem nuntium, "iter ad ducem Moscoviae facientem", etiam Andreae Gritti, duci Venetiarum (min. AV, Arm. 40, ms. 10 f. 370r-v).

N. 14-20.

**Clemens VII, pontifex maximus
3 praelatis et 4 nobilibus laicis ducatus Moscoviae**

Romae, 18 XI 1525.

Exponit succincte praemissas et causas missionis Ioannis Francisci, epi Scarenensis, ad eorum ducem Basiliū (ut in N. 4), scilicet, ut eam inter nos coniunctionem et amicitiam procuret, quae ipsi duci honorifica et fructuosa, nobis certe et grata et probata futura sit. Ideo eos impensius hortatur, ut sua auctoritate et gratia totius huius laudabilis et Deo acceptissimae copulationis nostrae procreationem et effectum amplecti, [...] dictum nuntium nostrum, tum apud ipsum ducem, tum ubicunque opus fuerit, commendatum facere velint.

Min.: AV, Arm. 40, ms. 10 f. 371r (pars dextra). Ad caput textus alia manu: "In Moscoviam", et sub textu eadem manu: "3 venerabilibus, 4 nobilibus".

N. 21.

**Litterae passus,
a Clemente VII, pontifice maximo,
Ioanni Francisco Cito datae**

Romae, 18 XI 1525.

Ioannem Franciscum (Cito), epum Scarensem, et Demetrium Gerasimov, oratorem magni ducis Moscoviae, in Poloniam et Moscoviam eentes, commendat.

Min.: AV, Arm. 40, ms. 9 f. 285r. Textus, in membrana exaratus, ad mittendum paratus, deinde alia manu correctus. In dorso (f. 285v) alia manu: "Anno secundo. 1525. Novemboris XVIII. Passus pro epo Scarensi", et subtus adhuc alia manu: "sine subscriptione".

- Cop. saec. XVII: AV, Arm. 39, ms. 45 f. 470r-471r.

Universis et singulis Regibus, Principibus, Archiducibus, Ducibus, Marchionibus, Baronibus, Comitibus, Populis, Nationibus, Civitatibus, Universitatibus, Communitatibus, Provintiarum, Regionum, Terrarum, Urbium, Op-

pidorum, aliorumque locorum quoruncumque, tam privatorum quam publicorum, Dominis, Legatis, Vicelegatis, Praefectis, Praesidentibus, Gubernatoribus, Praetoribus, Nuntiis, Commissariis, Magistratibus, Officialibus, armorumque item Praefectis, Capitaneis, Ductoribus, tam maritimis quam terrestribus, eorumque omnium et singulorum Locatenentibus, Substitutis, Ministris, aliisque quibuscumque et ubicunque cuiusvis dignitatis, auctoritatis, potestatis, status, gradus, conditionis, tam iure et libertate propria fungentibus quam nostris et Sanctae Romanae Ecclesiae mediate^{a)} vel immediate subditis ac subiectis, ad quos hae nostrae litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Ven.lem fratrem Ioannem Franciscum, Epum Scarensem, Praelatum nostrum domesticum, virum doctrina, prudentia, probitate, aliisque virtutibus insignem, Nobisque idcirco, et quoniam de nobis etiam^{b)} nostrisque praedecessoribus, Romanis Pontificibus, deque Sancta hac Sede ^{c)valde et bene^{c)} meritus est, maxime probatum et gratum^{d)}, in Poloniam, Moscoviam et alias Provintias et loca ^{b)nostrum et eiusdem Sedis Nuncium^{b)} pro negotiis et rebus ad Christianam fidem Christianitatisque commodum et ornamentum pertinentibus mittamus; unaque cum eo dilectus filius Demetrius^{e)} Erasmi, vir valde honestus et prudens ac Principis Moscoviae Nuncius^g, a Nobis ad ipsum Principem revertatur.}}

Cum autem praeterea, quod ad pestilentiam attinet, nulla contagione aut labie, neque ipsi neque eorum comites, quantum humana coniectura et investigatione perspicere potuimus, tacti aut laesi, sed incolumes omnes, partim ex Palatio nostro apostolico, in quo Nos habitamus, partim ex domibus viciniisque minime suspectis et sanis hinc ab Alma Urbe discesserint, cipientes Nos, ut eis et eorum comitatui liberum, commodum et honorificum iter, et nunc eundo et postea redeundo, pateat ubique, supradictos omnes et singulos, pro ipsius D.ni Nostri Iesu Christi, eiusque fidei sanctae ac nostrae et apostolicae Sedis honore et reverentia, ^{f)pro sua ipsorum humanitate, Nostris vero et Sanctae Romanae Ecclesiae subiectis etc. (in forma). Datum Romae etc., XVIII Novembbris M.D.XXV, Pontificatus nostri anno secundo^{h)}.}

^{a)} *Correctum ex: subditae*

^{b)} *Adscriptum supra.*

^{c-c)} *Ordo verborum inversus.*

^{d)} *Sequitur expunctum: virum et eiusdem Sedis Nuncium*

^{e)} *Correctum ex: Desyderius*

^{f-f)} *Correctum ex: omnibus privatis animi affectibus, passionibus quibuslibet omissionis et posthabitibus, suamque ipsorum humanitatem et benignitatem post Deum ipsum aspicientes.*

Clemens VII, pontifex maximus
Ioanni Francisco Cito

Romae, 19 XI 1525.

Ad munus nuntii apud magnum ducem Moscoviae (Basilium III) destinato, praecipit ei, ut in omnibus agendis a rege Poloniae pendeat eumque exhortetur, ut regi Suetiae (Gustavo) scribat, ne is haeresi Lutheranae faveat et ut negotium possessionis eius dioecesis Scarensis promoveat.

Min.: AV, Arm. 44, ms. 9 f. 357r, 358r (2 exemplaria: textus adumbratio et versio nitidior).

- **Ed.:** Theiner VMPL II, p. 434-435.
- **Ed.:** Balan, p. 187.

Episcopo Scarensi

Ven. lis frater etc. Cum Fraternitatem tuam, ipsius prudentia et integritate docterinaque adducti, ad principem Moscovitarum nuncium nostrum per alias nostras in forma brevis litteras destinaverimus ac deputaverimus¹⁰, multaque tibi verbo praeceperimus ad id negocium pertinentia, cuius ex sententia conficiendi omnem spem nostram in Car.mo in Christo filio nostro Sigismundo, Poloniae Rege illustri, positam habeamus, illud tibi etiam atque etiam praecipiendum et mandandum in scriptis quoque duximus, ut praefati Poloniae Regis in omnibus et per omnia utare consilio negotiique totius finem et consilium ad illius commoda et voluntatem omnino dirigas. Quod eo te diligentius curare volumus, quo sumus certi iosum quoque Regem pro sua incomparabili in Deum omnipotentem et christianam religionem voluntate et pietate ad omnia recta et honesta facilem se et benignum redditurum.

Cumque praeterea Rex modernus Suetiae¹¹ multum ipsius Regis Sigismundi consilio auctoritatique tribuat, atque is omnium sermone praedicatur Sedi Apostolicae hostis esse et inimicus, obtestaberis Sigismundum Regem nostris verbis, ut suam fidem virtutemque velit interponere, quo in illis Suetiae partibus ista Lutherana impia haeresis comprimatur, verusque fidei catholicae cultus conservetur. Et quoniam Ecclesia Scarensis, cui de tua persona per felicis memoriae Adrianum, praedecessorem nostrum, fuit provisum, in Regno Suetiae est, cuius tu nunquam possessionem obtinere potuisti¹², dices isti Regi Ser.mo nos mandaturos, ut ius tuum in gratiam ipsius Suetiae

¹⁰ Non inveniuntur.

¹¹ Gustavus Vasa.

¹² Vide Introductionem.

Regis renuncies, modo ille dignam et catholicam personam illi Ecclesiae iubeat praefici¹³. Denique in omnibus prorsus rebus, quae ad huiusmodi negotia pertinebunt, non minorem te volumus voluntatis Ser.mi Sigismundi Regis quam nostrae met habere rationem. Datum Romae etc., die XVIII No- vembris M.D.XXV, anno secundo.

N. 23.

**Ioannes Franciscus Cito
Iacobo Sadoleto**

Cracoviae, 1 III 1526.

Notum facit se heri venisse Cracoviam, ibique neque regem neque reginam invenisse; hanc proximis diebus videre intendere, illum in Prussiam usque, etsi minus libenter, sequi debere; ex itinere epum Olomucensem (Stanislaum Turzo) salutasse, qui sibi plura de episcopo suo suffraganeo apostata (Pettendorfer) et de Lutheranismi per totam Moraviam diffusione rettulerit.

Autogr.: AV, AA I-XVIII, ms. 6522 f. 75r-v. In f. 76v inscriptio et vestigia sigilli.

Rev.mo Monsignor mio observandissimo.

Giunsi hiersera qui, cum non manco stracchi li cavalli che le persone, per le [sic] neve grande oltra il solito ho trovate per tutta Moravia e Slesia. Ma quello che più mi pesa è che non ho trovato qui niuno. La Maestà del Re partì son hogie [sic] XI giorni, et è andato in Prusia, dove deve congregare una dieta deli signori di quelle parte¹⁴. Li particolari di ciò non ho anchora possuto intendere. La Regina è discosto di qui quattro miglia¹⁵. Ho expedito questa mattina un mio. Dimani l'aspecto. Et perché parte repentinamente questo messo, non ho voluto perdere questa oportunità per dare avviso di quel tanto si può.

Non so, Monsignor mio, che commissione sia restata appresso la Regina dele cose mei [sic]. Ogni homo me dice che s'io voglio andare a trovare la Mae- stà Regia, mi discosto dala via directa più di miglia DCCCC Italiani. Se an-

¹³ Cfr. infra, N. 27-28.

¹⁴ Sigismundus I discessit Cracovia 18 II 1526 (v. Gašiorowski, p. 264) comitia terrarum Prussiae celebraturus (v. Fabro N. 12).

¹⁵ Reginam Bonam fuisse tunc in Niepolomice, ex litteris Nicolai Fabro (v. N. 5-6) constat.

chora voglio aspettare qui, me sarà cosa dura per ogni rispetto, praesertim che non credo voglia il Moscovita¹⁶ tanto rimanere. Purò [sic] di ciò aspectarò il consiglio dila [sic] Ser.ma Regina. Questi son li fructi dulcissimi che racoglio del bon cambio di Venetia. Quando non füssi stato impignato quel tempo lì, cum tanto incommodo et perdita mia, ogni cosa mi serrebe successa a punto et in questa Pasca senza dubio serrebe [sic] stato in Moscovia. Ma più non si pò. Chi di ciò è stato causa, vorrebe [sic] provasse la decima parte di quello provo io. Idio gli el perdoni.

Trovai il Vescovo Olumucense¹⁷. Me tenne un giorno cum molta humanità. Et mi monstrò una lettera del Re di Hungaria¹⁸ che li imponeva che senza altra dilatione detenesse et ben custodisse il Preposito Cunicense, suo suffraganeo, per haver contracto matrimonio cum una monacha nobile¹⁹. Et il dì partì io, partì anchora sua Signoria per fare dicto effecto. Più mi disse che quasi tutta la Moravia era infecta dila fece Lutherana, et praesertim Igla, castello assai insigne²⁰, che ad sugistione di un Paulo Sperato²¹, haveva immunitato tutto il rito antiquo dili divini offitii, et che non se li poteva providere senza la presentia del Re.

Era dui dì avanti comparso un secretario del Re di Hungaria. Andava in Olumuz ad preparare le stantie per el Convento di dicto Re, di quel di Polonia et di Ferdinando; diceva per la festa di Santo Ioanne Baptista²². Il che mi pare cosa assai difficile, per essersi discosto il Re di Polonia. Ni credo possa a quel tempo componere le cose Pruteniche.

Dele cose di qua non so dir niente, per esser stato brevissimo ^(a)-il tempo-a) et per non haver conversato cum veruno. Altro, Monsignor mio, non accade, si non humilmente basar li Ss.mi Piedi a sua Santità et raccomandare le cose mei [sic], cum quanta instantia posso, a V.ra Signoria. Dat[um] Cracovia, a dì primo di Marzo M.DXXVI.

D[i] V.ra Rev.ma Signoria

humilissimo servitor
el Vescovo Scarense

^{a-a)} *Adscriptum in margine.*

¹⁶ Demetrius Gerasimov, cfr. supra, N. 3-4.

¹⁷ Stanislaus Turzo.

¹⁸ Ludovicus II.

¹⁹ Ioannes Pettendorfer, praepositus in Konice, epus titularis Nicopolitanus et suffraganeus Olo-mucensis ab a. 1512, apostatavit a. 1523.

²⁰ Jihlava, Germanice Iglau.

²¹ Paulus Speratus (1484-1551), sacerdos catholicus a. 1506, Lutheranus ab a. 1520/21, parochus Igloviae a. 1522-1523 (in carcere Olomucii ob haeresim detentus aestate 1523), ab a. 1524 ordinator Ecclesiae Lutheranae in Prussia, ab. a 1530 epus Pomesaniensis.

²² Id est 24 Iunii. De hoc congressu regis Ludovici II cum Sigismundo I et archiduce Ferdinando vide supra, Buglio N. 28-30.

N. 24.

**Ioannes Franciscus Cito
Iacobo Sadoleto**

Cracoviae, 15 [III] 1526.

Refert de suo cum regina Nepolomiciis habito colloquio et quomodo ipsa se convicerit, ut Marienburgum, regem visurus, se conferret, etsi Moscovita (Gerasimov) id aegre tulerit. Notum facit oratores imperatoris et archiducis Ferdinandi, in Moscoviam eentes, per Cracoviam transivisse; ducatum Masoviae, mortuo eius duce (Ianussio), regno Poloniae annexum esse. Petit, ut sibi de pensione a pontifice provideatur.

Autogr.: AV, AA I-XVIII, ms. 6522 f. 73r-v. In f. 74v inscriptio et vestigia sigilli.
- Ed.: Theiner VMPL II, p. 439-440.

Rev.mo etc.

Scripsi a V.ra Signoria Rev.ma al primo di questo la mia giunta in Cracovia e che haveva trovato partito il Ser.mo Re, et era ito verso Prusia, et che ni anche la Ser.ma Regina era qui, ma presso tre leghe²³. Ala quale andando a farli reverentia son hogie [sic] giorni sei, presentaili il breve di Nostro Signore²⁴ e li narrai la substantia deli negotii. Sua Maestà cum molto affetto et riverentia ringratìò Nostro Signore cum dire che non (^aprima che^a) haveva congnosciuto [sic] l'animo benivolo et clementissimo di sua Beatitudine verso il Ser.mo Consorte suo e il suo regno. Et di ciò cum parole honorevole et amorevole molto disse.

Dopo il giorno seguente, essendo longamente cum sua Maestà et investigando sellera [sic] meglio ch'io aspettasse qui el Re o vero l'andasse a trovare col dispendio del camino più longo leghe LXXIII, et essendo adducte molte ragione, sì da l'una parte, come da l'altra, parve tandem a sua Maestà ch'io vada verso Marimburgo²⁵, dove hora si trova il Re. Questo primo persuadeva che sua Maestà non ben intendeva li negotii Moschovitici, cossi di ciò non mi poteva dare expeditione alchuna; deinde che quando io havesse voluto mandare messo et scrivere etiam longamente ogni cosa, non serebbe [sic] satisfacto sì pienamente alla Maestà del Re, come in persona. Ma omnium potissimum me facto in questa parte inclinare il precepto et mente di Nostro Signore, che per un breve mi commanda, come V.ra Signoria Rev.ma sa, che in

²³ Vide supra, N. 23.

²⁴ Vide supra, N. 5.

²⁵ Marienburg (Polonice Malbork) in Prussia Regali, antiqua sedes magnorum magistrorum ordinis Theutonicorum.

tutti questi negotii seguiti il consiglio di sua Maestà²⁶. Il che non ben posso fare quando non odi la voce viva. Et quando dila mia Instructione dubitava che havesse a fare quando non havesse trovato qui sua Maestà. Sa V.ra Signoria Rev.ma che sua Beatitudine me rispose che l'andasse a trovare dove era. E cossì dimani mattina mi parto verso Marimburgo cum elongare il cammino ditte leghe LXXIII, che son miglia CCC Italiani, e qualche cosa di più.

Non ho possuto partire di qui più presto che hogi, per esserme stato necessario providerme d'un carro per portare victualia et altre cose necessarie, che cossì man [sic] consigliato tutti, che spesso si va [73v] tre e quattro giorni senza trovar niente. Son stato constrecto prepararme quasi una casa di utensili, che mi consta di bon dinari. E parllando [sic] di ciò con magistro di casa dela Ser.ma Regina, cum chi mi trovai in Ierusalem (e me parso un miraculo haverlo trovato qui), me disse che pensasse un'altra volta h avere andare per li diserti di Egipto²⁷.

Ho havuto alchuno fastidio in persuadere al Moschovita²⁸ venisse cum mi per questa via, et benché primo stesse duro forse tre giorni, tandem il [sic] vinse questa ragione che non havendo lui salvoconducto del Re, non serrebe [sic] stato seguro per Lithuania, ni anche l'arrebeno [sic] lassato passare. E cossì sene viene meco.

Primo gionsesse [sic], forse a X giorni, son passati l'oratori di Cesare et Ferdinando, che vanno pur in Moschovia²⁹, et non senza suspecto di questi signori Polachi, dubitando non succeda quel che successe al tempo di Maximiliano³⁰. Pare a molti cosa nova che in uno medemo tempo vadano in Moschovia l'oratori di Nostro Signore et di Cesare. Questo anche me stato sperone in farme andare ala Maestà del Re, aciò si rimova ogni suspecto.

Di nove qui non ho altro, si non che morto el Duca di Mosovia, Ducato opulentissimo. Et perché non li è herede, succede la Maestà del Re³¹.

Monsignore mio, io non perdono a fatiche ni a cosa alchuna solo per obbedire a sua Beatitudine. Supplico, quanto più humilmente posso, non se dismentiche di mi, quando Idio me concederà che ritorni, habia dove reclinare il capo, dopo tanti periculi e fatiche. Che, quando di ciò fusse certo et non stesse con la mente sempre suspesa di che debia vivere come torno, certo queste fatiche serrebano per la magior parte alleviate. Ogni dì ce son nove occasione, et io povero sempre son postposto. Facto sia il voler di Idio. Et altro non acca-

²⁶ Cfr. supra, N. 22.

²⁷ Nicolaus Wolski († 1548), maiordomus reginae ab a. 1518, peregrinatus est in Terram Sanctam a. 1511-1512. Cum Cito suam primam missionem ad patriarcham Maronitarum perfecerit nonnisi a. 1514-1515 (v. Introductionem), agi videtur de praecedenti ignota huius nuntii in Palaestina commemoratione.

²⁸ Gerasimov.

²⁹ Leonardus Nogarola et Sigismundus ab Herberstein, cfr. infra, N. 27.

³⁰ Cum scilicet a. 1514 conclusum est, per oratores illius imperatoris, secretum foedus inter eum et magnum ducem Basilium adversus regem Poloniae, cfr. Buglio N. 10.

³¹ Mortuo ultimo duce Masoviae Ianussio († 10 III 1526), ducatus iste tandem, cum 26 VIII 1526 rex Sigismundus I Varsaviam venisset, regno Poloniae incorporatus est (v. Pociecha KB II, p. 104).

dendo, humilmente baso li Ss.mi Piedi a Nostro Signore, cum racommendar-
me a V.ra Signoria Rev.ma. Da Cracovia, a dì XV di Marzo^{b)} M.DXXVI.

D[i] V.ra Rev.ma Signoria

humillissimo servitor
el Vescovo Scarense

a-a) *Correctum ex: primogeno (?).*

b) *In ms.: Febr[aro], quod tamen esse non
potest, nam mense Februario rex adhuc
erat Cracoviae (v. supra, N. 23, notam*

*14). Errorem testatur etiam summarium
praecedentium litterarum, quae sine du-
bio sunt illae, quae 1 III datae erant.*

25.

Responsum

**nomine regis Sigismundi I
Ioanni Francisco Cito datum**

Marienburgi, 5 IV 1526.

*Rex gratias agit summo pontifici pro studio in commodando rebus suis ad-
hibito et concedit nuntio liberum transitum per sua dominia usque ad fines
Moscoviae.*

Reg.: Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 5 f. 274r-v.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 7 f. 33r (n.729) cum annotatione: "R[e-
gistralta".

- **Cop. coaeva:** Kraków, BJ, ms. 6550 f. 40r-v.

Ed.: Działyński AT VIII p. 46-47.

Responsum

datum D.no Ioanni Francisco, Epo Scarensi, Legato Apostolico,
5 die Aprilis Marienburgi, Anno D.ni M.D.XX.VI.

Sacra Maiestas Regia expendit secum ea omnia, quae et litterae Ss.mi
Domini Nostri continent³² et V.ra Rev.ma Dominatio nomine illius Sanctitatis
Maiestati suae retulit, [274v] et commendat impense Maiestas sua regia
hoc studium et curam illius Sanctitatis, cum ad pacandas turbas et dissidia

³² Vide supra, N. 3.

principum et statuum christianorum, tum etiam ad reducendos eos, qui in religione [sic] nobiscum dissident, ad unitatem sanctae fidei catholicae.

Quodque illius Sanctitas inter eas curas et studia sua non praetermittit negocia Maiestatis suae regiae, cupiens illis pro virili sua commodare, id et gratissimum habet eius Maiestas, et eam benignitatem ac paternum officium vult eius Maiestas illius Sanctitati fide et observantia sua referre.

Concedit autem libenter eius Maiestas V.rae Rev.mae Paternitati liberum et securum transitum per regnum et dominia sua, ita ut illius Sanctitas optavit, et conductorem illi ad fines usque Moscoviae fidum et idoneum praebet.

N. 26.

Instructio

a Sigismundo I, rege Poloniae

Ioanni Francisco Cito, in Moscoviam eunti, data

Marienburgi, 10 IV 1526.

Committit ei, ut duci Moscoviae missionem suam ita exponat, sicut in commissis a summo pontifice habet, ne suspicio oriatur eum ab ipso rege missum esse. Praeterea eum affirmare posse regem ad pacem cum duce illo ineundam paratum esse, ea tamen condicione, ut arx Smoleńsk sibi restituatur; sin minus, solas indutias nunc vigentes ad 10 vel plures annos longius producendas admitti posse.

Cop. coaeva: AV, AA I-XVIII, ms. 6522 f. 77r-v (manu I. F. Cito, cfr. N. 27).

- Ed.: Theiner VMPL II, p. 441-442.

- Ed.: Balan, p. 356-357.

- **Cop. XVIII saec.:** Kraków, BCz, ms. 2585 p. 121-125 (manu I. Albertrandi).

- - Ed.: Turgenev I, p. 133-134.

Min: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 7 f. 30r-v (tanquam data a rege; incipit: "Sigismundus etc" et utitur forma: "Nos"), sine datatione.

- **Reg.:** Warszawa, AGAD, Lib.Legat. 5 f. 274v-276r.

- **Cop. coaevae:** Kraków, BJ, ms. 6550 f. 40v-41v;
Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 f. 223-224.

- **Cop. XVII saec.:** Kórnik BPAN, ms. 223 p. 184-186.

- - Ed.: Działyński AT VIII, p. 47-48.

Instructio summaria,
data nomine Regio Rev.do in Christo patri d.no Ioannifrancisco [sic],
Epo Scarensi, Nuntio Apostolico in Moscoviam

Postquam placuit Ss.mo Domino mittere in Moscoviam V.ram Paternitatem et Maiestatem Regiam ad ineundam pacem cum cum illo Duce Sanctitas sua exhortatur, tametsi multae sint causae et rationes Maiestatis sua, quae diversum suadent, cum experta sit Maiestas sua fidem et iusurandum parvi esse apud illum momenti, nollet tamen Maiestas sua in hac re, uti in omnibus aliis consuevit, et votis illius Sanctitatis et necessitati rei christianaes deesse.

Verum ante omnia vitandum est, ne quam Dux occasionem capiat suspicandi hoc instinctu Maietatis sua fieri, maxime cum ad Maiestatem suam Paternitas V.ra una cum Nuntio ipsius³³ descenderit, unde et dignitati Maiestatis suae nonnihil detraheretur et Ss.mus Dominus Noster suspectum se apud illum reddere posset.

Et proinde ingenue illi referendum censem Maiestas sua^{b)} id, quod res est, fuisse apud Maiestatem suam Paternitatem V.ram et de pace inter eum et illum nomine Ss.mi Domini Nostri egisse; Maiestatem vero suam, tametsi gravissimis iniuriis ab ipso Duce affecta fuerit, ad postulata tamen illius Sanctitatis et causa rei christiana pacem ipsam, quae digna esset et illi ferenda, non detractare.

De conditionibus vero pacis, licet Maiestas sua, mox post provectionem suam ad Magnum Ducatum Lituaniae, iniverit perpetuam pacem cum ipso Duce, et illud litteris et iuramento firmaverit³⁴, quibus ille violatis, bellum Maiestati sua intulit et arcem eius Smolensko per proditionem occupavit³⁵, unde verisimile est nullam cum eo pacem firmam et solidam fieri posse; tamen cum ita res fert, ut ex ipso usu videatur reipublicae christiana, contenta est Maiestas sua et id agat Paternitas V.ra, ut ipsa pax perpetua, quam initio fecit cum illo Maiestas sua, reintegretur et ad suas conditiones et modos priores reducatur; ut quocumque post illius violationem utrinque [77v] est interceptum restituatur et in ea sententia Paternitas V.ra perpetuo, quo ad pacem perpetuam ineundam, persistat.

Si vero Dux ille arcem Smolensko exceperit et restituere illam noluerit, nec ab eo instituto nullis rationibus V.rae Paternitatis deduci poterit, et praesertim quod intercepta esset post pacem perpetuam, quam ipse violavit, non intelligit Maiestas sua, quibus aliis modis pax solida confici posset, maxime in modernis rei christiana motibus, in quibus difficillimum esset de modis et conditionibus aliis utrinque tractare.

Et proinde, quod extremum est, agendum erit de induitiis hiis, quae inter Maiestatem suam et illum Ducem sunt, in praesens longius producendis, etiam ad annos usque decem vel plures, ut interim res, quae componi non possent, penderent ad tempus aliud. Hoc enim Maiestati suae tollerabilius es-

³³ Gerasimov.

³⁴ Sigismundus I creatus erat magnus dux Lituaniae a. 1501, dictam vero "pacem perpetuam" cum magno duce Moscoviae Ioanne III concluserat a. 1508 (fusius de conditionibus eiusdem pacis v. Bielski, p. 461).

³⁵ Arx Smolenscensis occupata est a Moscovitis 30 VII 1514, cfr. Bielski, p. 471.

set, quam arcem illi, tam indigne occupatam, conditionibus aliquibus pacis amittere, ut interim, Nuntiis inter Maiestatem suam et eundem Ducem commantibus et commertiis existentibus, melior occasio pacis conficienda se offerret et necessitas rei christiana non impediretur.

Et haec est sententia et instructio Maiestatis sua in praesens, iuxta quam se V.ra Paternitas, pro virtute et industria sua, gerere curabit.

Ad eas indutias producendas, si ille videbitur accedere velle, poterit V.ra Paternitas pro sua Maiestate polliceri, quod eas quoque, causa Ss.mi Domini Nostri et rei christiana, sit susceptura et ad eas firmandas oratores suos missura, nam ille haud dubie non tractaret et firmaret illas, nisi cum oratoribus Maiestatis sua, qui etiam ab illo iusurandum acciperent, ut fieri est consuetum.

Datum in arce Marienburgensi, die decima Aprilis, Anno Iesu Christi M.DXXVI, Regni Maiestatis sua anno vigesimo.

a-a) *In minuta solum et in textibus ex illa
pendentibus.*

b) *Adscriptum supra.*

N. 27.

**Ioannes Franciscus Cito
Iacobo Sadoleto**

Marienburgi, 11 IV 1526.

Notum facit se venisse Marienburgum 28 III et bene acceptum esse, responsum tamen a rege non potuisse habere nisi die 4 IV, post festa Paschatis, cum rex devotioni Hebdomadae Sanctae intentus esse voluerit. Transmittit et recenset copiam instructionis pro Moscovia, quae, se instante, data sibi erat a rege. Notificat transitum per Cracoviam Leonardi Nogarola et Sigismundi ab Herberstein, pacis mediatorum, in Moscoviam euntium. Recenset, quid epus Pomesaniensis (Queis) nomine ducis in Prussia apud regem egisset de liberandis 2 monachis apostatis, qui Marienburgum haeresi infecerunt. Notum facit regem censere partem epatus Pomesaniensis sibi subiectam, alicui episcopo vicino committendam esse, ne penitus Lutherana fiat; regem heri Gedanum profectum esse ad pacando ibi tumultus a Lutheranis concitatos, se etiam cras per Vilnam in Moscoviam iter ingressurum; regem promisisse se scripturum esse regi Suetiae (Gustavo) de Lutherismo suppressendo et dioecesi sibi restituenda; aepum Rigensem (Blankenfeld) petere auxilium a rege Poloniae contra subditos suos, qui, Lutherismo infecti, pellere illum attendant. Petit, ut sibi a pontifice maximo de sustentamento provideatur. Mittit copiam citationis Gedanensem a rege editae.

Autogr.: AV, AA I-XVIII, ms. 6522 f. 79r-81r. In f. 82v inscriptio et vestigia suggilli.
 - **Ed.**: Theiner VMPL II, p. 442-444.
 - **Ed.**: Balan, p. 357-359 (authorem huius epistulae dicit Hieronymum Rorario).

Rev.mo Monsignor mio.

Scripsi da Cracovia primo del giorno che giunsi et dopo dela partita mia di là verso Marienburgo, terra di Prusia, dove era gita la Maestà del Re per porre remedio ale insolentie de Gedanesi, del tutto impazati nelle factione [sic] Lutherane³⁶. Et per la longeza del camino non possi più presto arrivare che alli XXVIII del passato, ch'era el Mercordì Santo. Et facendo instantia fui udito dala Maestà del Re il giorno seguente. Presentai il breve³⁷ et expusi quanto havea in commissione. Che tutto fu a sua Maestà et al Conseglie suo gratissimo, cum commendare summamente sopra el conseglie di Nostro Signore nelle cose di Moscoviti come prudentissimo et pieno di pietà, et cum referire a Sua Santità gratie immortale dila benivolentia et amore dimonstra verso sua Maestà et suo Regno. In altro allora mi fu risposto, per essere quelli giorni sancti, et presertim per haver il dì seguente, ch'era il Vener[dì] Santo, sua Maestà a comunicare, et non voleva essere impedito dale sue devotione per negotio alchuno. Cossì anche ha fatto tutte queste feste.

El mercor[dì] di Pasca, che forno li IIII di questo, fui da sua Maestà domandato. E presente il conseglie me fe [sic] respondere che tutti li giorni passati erano state le cose da mi proposte ben examinate e discusse, e che piaceva molto a sua Maestà ch'io andasse al mio viaggio, mi darrebe salvocondotto e guida per tutto il suo dominio, e che in servitio di Nostro Signore era per fare magior cosa di questa³⁸. Dil che ringratiai sua Maestà cum quelle parole che convenevano.

Me fe subito chiamare da parte e da Mons. di Cracovia³⁹ mi fe dire che me serrebe semelmente [sic] data la instructione, ch'io cum molta instantia haveva chiesta, che continerrebe il modo debo tenere in tractar la pace, et explicarrebe la mente di sua Maestà. Di la quale cum questa mando copia, aciò Nostro Signore intenda il tutto⁴⁰. [79v] Et perché più volte di ciò il Duca è stato sollicitato e mai s[h]a possuto concluder niente, per non volere restituire Smolesko, pertinente al Ducato di Lithuania, che tolse al Re, essendo tra loro pace, non è dubio che di ciò harrò difficultà grandissima, per non volere cum altra conditione il Re la pace che cum questa che li sia restituito Smolesko.

³⁶Cfr. supra, N. 23-24.

³⁷Cfr. N. 3.

³⁸Vide supra, N. 24.

³⁹Petrus Tomicki.

⁴⁰Vide supra, N. 26.

Scripsi anchora che diece dì avanti gionsesse in Cracovia, erano passati li Oratori di Cesare. Vanno pur in Moscovia⁴¹. Un di loro è il Conte Leonardo Nogarola, certo non ingrato al Re e al suo Conseglio. L'altro è Todesco del Conseglio del Prencipe [Ferdinando], segondo ho inteso; chiamasi Sigismundo de Herbestayn⁴²; non è tanto grato a questi Signori come l'altro, per esser tenuto homo Lutherano. Dio voglia non me siano impedimento in ogni cosa. Dicono vanno per tractare anchor loro la pace tra il Re e 'l Duca in nome di Cesare.

Qui è comparso el Vescovo Pomezaniense⁴³, mandato dal Duca di Prusia, già Magestro di quell'Ordine. Et in Concilio presente^{a)} se lamentò che sua Maestà haveva carcerato due predicatori Monachi apostati che haveano infecto di l'heresia Lutherana tutto Mariemburgo, deputati per lui. Sua Maestà li fe rispondere che siva quello pertineva a christiano Principe e lui non havea cagione di querelarse che fusse impedito dala sua iurisdictione per esser solo dal dicto Duca nominato Vescovo e non confirmato dala Sede Apostolica. Rispose cum molta insolentia che non trovava nella scriptura divina che li vescovi debano esser confirmati per la Sede Apostolica, ma che quamprimum uno fusse eletto, in sua Diocesi era papa; e che queste erano humane ceremonie, cum li quali non voleva haver cosa alchuna comune, e voleva remanere in la sua vocatione. Et altre cose semile, piene di molta insolentia. Sua Maestà iterum li fe [80r] finalmente rispondere che queste cose erano tutte frustrarie cum lui, che era in ciò impersuasibile, ni per questo si moverebe un pelo, ni dal rito antiquo, ni dal suo proposito, che era ch'il ditto Vescovo non administrasse nelle terre subdite a sua Maestà⁴⁴. Cum questo si partì poco contento.

Questo Vescovo ha parte dela sua Diocesi nel dominio del Re, ma la nominatione pertiene al detto Duca di Prusia, olim Magistro. Il quale, per voce comune in queste parteb^{b)}, è Lutheranissimo. E parlando di ciò meco Mons. di Cracovia, dice el Re esser di parere che Nostro Signore commetta la administratione di quella parte dela diocesi è nel dominio di sua Maestà ad alchun Vescovo vicino catholico, aciò ní lui, né li suo[i] predicatori pervertan queste parte. Il che sua Maestà harreve [sic] molto molesto, quando seguisse che solo per porre remedio a ciò è venuto in queste parte. Credo sua Maestà di questo scriva a Nostro Signore.

Mandò sua Maestà il lunedì di Pasca⁴⁵ il Palatino di Cracovia⁴⁶ e altri Signori a Gedano, cum grande cavalcata. Mi dicono erano cavalli VI cento. Parte di qui sua Maestà, passando dimani per Gedano. Parto anchora io al

⁴¹Vide N. 24.

⁴²Sigismundus ab Herberstein (1486-1566), plures legationes in Moscoviam et Poloniam nomine Ferdinandii Habsburg absolvit, auctor celebris descriptionis Moscoviae (v. Bibliographiam).

⁴³Eberhardus Queis.

⁴⁴Cfr. supra, Buglio N. 8, annotationem 49.

⁴⁵2 Aprilis.

⁴⁶Christophorus Szydłowiecki.

mio viagio per Vilna. Rincresceme non possa esser lì per intendere et videre questi progressi, dopo che non possi essere presente ale ineptie di quel Vescovo, che subito dopo il facto parti insalutato hospite. Ma di ciò questi Signori m'an [sic] facto la excusa, che non credano prorumpisse in tanta pervicacia et insolentia. Per questo non fui chiamato. Non ho voluto fare instantia al Re dele cose di Gedano, per non monstrarme curioso et impacciarme di quello che non ho commissione, et anche per non perdere più tempo in andare deviando, che pur troppo ho perso.

Ho facta instantia cum sua Maestà dele cose di Suecia, secondo la commissione di Nostro Signore, per il breve⁴⁷. [80v] Me risponde non havere cosa niuna comune col Re di Suecia, benché due anni avanti ditto Re circasse haver cum sua Maestà amicicia perpetua cum certi passi e conditione expressi. Li fu risposo che non posseva [sic] ciò fare senza li suoi Consigliarii, ma che aspectasse ala dieta futura. Li suo[i] Nuntii andorno via in altro, dopo è stato rechiesto [?]. Purò me dice Mons. di Cracovia che sua Maestà farrà⁴⁸ l'offitio quando serrà in Gedano, sì di admonirlo non voglia accostarse ala impietà di Luther, come dila mi Chiesa, segondo Nostro Signore mi commanda⁴⁹. E di ciò lasso a sua Maestà ricordo⁴⁹.

L'Archiepiscopo Rigense in Livonia⁵⁰ è stato spogliato dari proprii subdit di ogni dominio, di modo che non li è rimasto si non una solo Roccha, dove si tiene, cum dire che voleva dare tutte queste terre al Duca di Moscovia, il che questi Signori extimano [sic] vanità. Ma perché quelli popoli son tutti Lutherani, han trovato questa inventione per conseguire il proprio intento. Altri dicono esser farina et haver origine dal Duca di Prusia, che aspira a quel dominio. L'Archiepiscopo, non sapendo altro fare, ha scripto al Re, chiedendo aiuto⁵¹. Diceme Mons. di Cracovia, che quando sua Maestà harrà reassectate li tumulti Gedanesi e castigati molto ben li Lutherani, per ogni modo vole aiutarlo. Al che io anchora ho facto qualche opra, videndo la indignità patisce il povero Archiepiscopo.

Altro, Monsignor mio, non ho, si non che quanto posso^{b)} mi raccomando a V.ra Signoria Rev.ma, voglia per sua humanità tener memoria di mi et raccomandarme a Nostro Signore, li cui Ss.mi Piedi baso cum ogni humeltà, che per sua clementia me dia pane da mangiare, che al mancho, dopo tante fatiche, habia tanto possa nutrire la mia vechieczza [sic], già consumpta nelli servitii dila Sede Apostolica. Il che Sua Santità più volte mi promise primo partisse, etiam presente V.ra Rev.ma Signoria. Et certo durissima cosa mi pare solo a pensare che in XII [anni] che servo, non habia ancho[81r]ra meritato il

⁴⁷ Desideratur.

⁴⁸ Cfr. supra, N. 22.

⁴⁹ Cfr. infra N. 28.

⁵⁰ Ioannes Blankenfeld († 1529), ab a. 1523 coadiutor et a 19 IX 1525 aepus Rigensis.

⁵¹ Epistula non invenitur. Iam ab a. 1524 Lutherani in Livonia rebus novis studebant, occupata etiam per aliquot temporis ipsa ecclesia cathedrali Rigae. Albertus Hohenzollern his motibus alienus non fuisse putatur.

pane et sia cum questa continua anxietà di non posser vivere senza rincrescere hora questo, hora quello. Purò spero nella clementia di Nostro Signore et humanità di V.ra Rev.ma Signoria harrò al mio ritorno dove reclinare il capo.

Cum questa mando copia dila citatione del Re contra Gedanesi, benché pensi primo che mò esser stata mandata in Roma⁵². Et cum raccomandarme di novo a V.ra Signoria Rev.ma fo fine. Da Mariemburgo, a dì XI di Aprile MDXXVI.

D[i] V.ra Signoria Rev.ma

humilissimo servitor
el Vescovo Scarense

a) *Sequitur in textu, additum per errorem: la
Maestà del Re*
b) *Adscriptum supra.*

c) *Adscriptum in margine.*

N. 28.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Gustavo I, regi Suetiae**

Marienburgi, [post 11 IV 1526].

*Adhortatur eum, ut dogmata Lutherana repellat et ad catholica revertatur.
Commendat epum Scarensem (Cito), qui promptus sit in Suetiam se conferre,
ut pacis in eius regno componendae conciliator sit; petitque, ut in assequenda
possessione eius episcopatus facilem se illi praebeat.*

Cop. XVII saec.: Kórnik BPAN, ms. 223 p. 187-188.
Ed.: Działyński AT VIII, p. 43 (ex codice olim Rogalinensi).

Litterae Sigismundi Primi, Regis Poloniae,
ad Gustavum, Regem Sueciae

Ser.me Princeps et Domine, frater noster charissime. Rogamus plurimum Maiestatem V.ram, ut quae illi animo integerrimo et benivolenti scribimus, boni consulere et in eam partem uti scribimus accipere dignetur.

52 Vide Fabro, N. 7.

Accepimus persuasum esse Serenitati V.rae dogmata Lutherana et traditiones Ecclesiae Witembergensis potiores esse maiorisque momenti et auctoritatis, quam dogmata sanctorum doctorum et traditiones Ecclesiae Catholicae, hactenus tot saeculis ab omnibus regibus et principibus, regnis et dominiis christianis observata. Cui rei quamvis fidem adhibere non potuerimus, quod Serenitas V.ra potius sibi sequendos impios et sceleratos apostatas quam universalem Ecclesiam et alios reges et principes christianos in animum suum induxisset, quodque magis V.ra Serenitas sibi de sede Witembergensi quam de sede Romana persuadere ac polliceri deberet, tamen ad eam famam, quam accepimus, non mediocriter indolentes facere non potuimus, quin de his Serenitatem V.ram, pro nostra [188] singulari erga illam benivolentia, admoneremus. Quam plurimum ex animo rogamus, ut vestigia maiorum suorum sequi et religionem sanctam Catholicam Sedemque Apostolicam ea, qua decet, observantia prosequi velit. Reducat in animum, qua gloria quave felicitate acti sunt omnes, qui religionis hostes aut praevericatorum extiterunt, et quid boni in omnibus regnis et dominiis huiusmodi insolentes fidei ac religionis novatores pepererunt.

Cognoscere autem vel hinc potest V.ra Ser.ma Maiestas non mediocrem in se favorem moderni summi pontificis Clementis VII, qui cum non pridem mitteret epum Scarensem ad ducem Moscoviae, sciens inter illum et regnum Serenitatis V.rae aliquas esse inimicitias, dedit illi in mandatis, ut de perpetua pace et concordia inter Serenitatem V.ram ac ducem ipsum operam faciat. Quod, ut ab illo intelleximus, est diligentissime facturus. Nec ab re faret, ut Serenitas V.ra aliquem nuncium suum in Moscoviam mitteret, qui una cum episcopo negotium ipsum pacis seu concordiae tractaret.

Et proinde commendamus Serenitati V.rae eum ipsum epum Scarensem, et rogamus illam, ne in assequenda possessione episcopatus sui illi Serenitas V.ra obstat velit, aut, si id adversus iura vel consuetudinem regni Serenitatis V.rae sit, iubeat magistro Magno, aut huic qui a Serenitate V.ra, aut a capitulo electus est^{52a}, aequo et decenti modo cum ipso episcopo componere, quo facto renunciaturum se iuri suo in gratiam Serenitatis V.rae offert et submittit. Quod nobis dignum et iustum videtur. Factura V.ra Serenitas pro virtute et existimatione sua. Quam optime valere et in omnibus felicibus successibus perfri ex animo desideramus. Datum Marienburgi^{a), [...]b)} Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Regni nostri anno XX etc.

^{a)} *Ita Działyński; in copia Cornicensi: Cracoviae*

^{b)} *Lacuna in copia; editio Działyński omnino caret datatione.*

52a Initio septembris 1523 capitulum Scarense, rege ita volente, elegit in epum magistrum Magnum Haraldsson († 1550), archidiaconum illius ecclesiae, quem rex Gustavus petiit 14 IX 1523 a summo pontifice Adriano VI confirmari (cfr. AV, AA I-XVIII n. 1426). Is postea fuit acerrimus novi regis adversarius, cfr. Martin, p. 168, 298.

N. 29.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Ioanni Francisco Cito
et Leonardo Nogarola ac Sigismundo ab Herberstein**

[Marienburgi, aestate 1526].

Notum facit se oratores suos in Moscoviam mittere, qui ipsis praesto sint, ne quid sibi incommodum fiat in tractationibus pacis vel induciarum ab ipsis faciendarum.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 7 f. 32r (n. 728).

Cop. coaeva: Kraków, BJ, ms. 6550 f. 43r.

Ed.: Działyński AT VIII, p. 45-46 (ex codice olim Rogalinensi, cum inscriptione: "Oratoribus Papae, Caesaris et Ferdinandi in Moscova existentibus").

Oratoribus in Moscoviam

Rev.de in Christo Pater et Magnifici, nobis sincere dilecti. Mittimus istuc ad V.ras Sinceritates oratores nostros cum plena facultate et instructione, Magnificos N.⁵³, quibus commisimus, ut omnia cum scientia et mutuo consilio Sinceritatum V.rarum tractent⁵⁴ cum isto duce de concordia et pace, seu etiam longioribus induciis inter nos ineundis. Postulamus a V.ris Sinceritibus, curam adhibeant, ne quid in conficiendis hiis rebus cum incommodo aut indignitate nostra committatur. Quam operam illis omnimoda gratia et favore nostro referemus. Quae bene valeant.

N. 30.

**Responsum
nomine Sigismundi I, regis Poloniae
Ioanni Francisco Cito datum**

[Cracoviae], 28 I 1527.

⁵³ Missi tunc fuerunt Petrus Kiszka († 1534), palatinus Polocensis ab a. 1519, et Michael Bohusz Bohowitynowicz († 1530), thesaurarius terrestris Magni Ducatus Lituaniae ab a. 1520 (v. Herberstein, p. 134).

⁵⁴ Dicti oratores non sunt admissi Moscoviae, ubi Cito et oratores imperatoris ac regis Romanorum commorabantur, sed audientiam habuerunt in Možajsk, die 14 X 1526, v. Pierling IR, p. 62.

Rex gratias agit summo pontifici et ipsi pro opera in conficiendis indutiis cum duce Moscoviae impensa et pro eo, quod in tractationibus illis opposuerit se iis, quae in detrimentum regis vergere videbantur, eaque ipsi communicaverit.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 8 f. 47r-v (n.879).

- **Ed.:** Celichowski AT IX, p. 36.

Cop. coæva: Kraków, BJ, ms. 6550 f. 408r-v (datum 1 IV 1527).

Responsum

a Ser.mo D.no Sigismundo, rege Poloniae,
datum epo Scarensi, nuntio Papae Clementis VII,
ex Moscova reverso

Sacra Maiestas regia, Rev.me domine, immensas agit et habet gratias Ss.mo Domino Nostro pro hac cura et sollicitudine paterna, quam illius Sanctitas gerit de bono statu Maiestatis sua, ita ut sua sponte mittere dignata sit V.ram Rev.mam Dominationem ad ducem Moscoviae causa pacis inter eius Maiestatem et ipsum ducem componendae. Quam curam et benignitatem paternam in se illius Sanctitatis vult eius Maiestas omnibus officiis et observantia sua, quacunque poterit, illius Sanctitati perpetuo referre et demereri.

Et quamvis maluisset eius Maiestas cum ipso duce Moscoviae, causa rei christiana, pacem et concordiam stabilem inire, quae et dignitati Maiestatis sua non officeret et iuribus Magni Ducatus Lithuaniae non detraheret, tamen cum ea in praesens ita contingere non potuerit, suscepit eius Maiestas grato animo eas indutias, quae per V.ram Paternitatem Rev.mam et oratores Caesareae Maiestatis Ser.mique Regis Ferdinandi sunt conductae⁵⁵, illasque Maiestas sua, uti christianum decet principem, firmiter et inviolabiliiter observabit.

[47v] Agit etiam Maiestas sua plurimas gratias V.rae Rev.mae Paternitati pro hac opera, quam in ipso negotio tam sedulo et fideliter impedit, ut et opposuerit se illic multis tractatibus, qui in detrimentum Maiestatis sua vergere videbantur, et illos eius Maiestati communicarit. Quod sicutrum obsequium V.rae Rev.mae Dominationis vult Maiestas sua acceptum habere semper et illud suo regio favore per omnem occasionem V.rae Reverendissimae Dominationi libenter referre.

⁵⁵ Modum, quo indutiae hæ confectae sunt Moscoviae primis diebus Novembri 1526, testibus Ioanne Francisco Cito et oratoribus imperatoris et Ferdinandi, diffuse describit Sigismundus ab Herberstein (v. Herberstein, p. 135-136).

Postulat autem eius Maiestas a V.ra Rev.ma Dominatione, ut Ss.mo Domino Nostro Maiestatem suam diligenter commendare velit, pro cuius Beatitudinis ac illius Sanctae Sedis bono statu et dignitate offert Maiestas sua regnum, dominia, gentes, facultates et vitam denique suam, nec ullis unquam laboribus, sumptibus et discriminibus suis parcere dignabitur Maiestas sua, quibus religioni catholicae et Sanctae Sedi Apostolicae ita, ut hactenus consuevit, conducere et inservire posse videbitur⁵⁶.

N. 31.

**Instructio
a Sigismundo I, rege Poloniae,
Ioanni Francisco Cito Romam redeunti data**

[Cracoviae], 1 IV 1527.

Commendat ei, ut - una cum card. protectore (Pucci) - a summo pontifice, quo gratiam iubilaei petat, annatas et denarium Sancti Petri pro defensione adversus infideles sibi, necnon indulgentiam plenariam peccatorum his, qui in proeliis adversus eos occumbant, concedere dignetur; adhortetur etiam eum suo nomine, ut reges Hungariae (Ioannem Zápolya) et Bohemiae (Ferdinandum) ad concordiam reducat.

Min.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 7 f. 99r-100r (n. 770). In margine eadem manu: "R[egistrata]", et subtus: "1527, prima Aprilis".

- **Ed.:** Celichowski AT IX, p. 99-100.

Cop. coaeva: Kraków, BJ, ms. 6550 f. 408v-409v (ms. Stanislai Górska).

Instructio Rev.do^{a)} d.no Epo Scarensi, nuntio Apostolico.

Post factam apud Ss.mum Dominum Nostrum commendationem nostri, referet V.ra Paternitas, ut ipsa vidit, quantis discriminibus regnum et dominia nostra sunt exposita, quot et a quantis hostibus infidelium et scysmatiorum assidue oppugnatur, ut subditi nostri nullo unquam externo subsidio suffulti, sed suis dumtaxat viribus et impensis tantas moles hostium sustinentes, in dies magis atteruntur et deficiunt. Commemorabit V.ra Paterni-

⁵⁶ Cfr. responsionem, separatim oratoribus imperatoris et regis Ferdinandi 28 I 1527 datam, quae frigidior appetat (Celichowski AT IX, p. 44-45).

tas, ut Sedes Apostolica consuevit regno Ungariae non vulgares suppetias ferre, quod tamen cum^{a)} uno dumtaxat hoste infideli rem habet, nobis vero, qui cum eodem hoste et aliis insuper infidelibus et scysmaticis assidue conflictantes, nihil hactenus, neque a Sede Apostolica, neque ab ullo alio principe christiano^{b)} subsidii est unquam praestitum.

Suplicabit itaque Paternitas Vestra, una cum Rev.mo d.no Cardinali ^{(c) Sanctorum Quatuor}, protectore regni nostri^{d)}⁵⁷, ipsi Ss.mo Domino Nostro, ut eius Sanctitas, si aliquo^{e)} impendio suo non potest nobis in praesens suppecias ferre, saltem his^{a)} rebus, quae eius Sanctitati^{f)} parum vel nihil constant, nobis adesse, pro paterna benignitate^{f)} dignaretur. Nempe, ut eius Sanctitas gratiam aliquam singularis Iubilaei ad aliquot annos ^{(g) ad regnum nostrum, Magnum Ducatum Lituaniae et caetera dominia nobis subiecta}^{g)}, et annatas ^{(h) episcopatum et omnium sacerdotiorum}^{h)} ex regno nostro provenientes, ^{(h) simul ac denarium Sancti Petri, post expiratam et finitam donationem eiusdem denarii Sancti Petri, quam habemus a bonae memoriae Leone pontifice decimo}^{h)}⁵⁸, nobis in defensionem contra infideles concedere dignaretur, ^{(h) et omnes milites et subditi nostri, qui in proeliis cum infidelibus pugnantes occumbunt, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequantur}^{h)}. Et licet devocio hominum erga indulgentias et iubileos hoc tempore nimis refriguit, annataeque raro contingunt et exiguae sunt ^{(i) in hoc regno, denarius etiam Sancti Petri est satis exilis, tamen}ⁱ⁾ hoc qualicumque subsidio consolati subditi nostri, et ardencius suis hostibus resisterent et Sedem Apostolicam tanto maiore veneratione observarent.

Si quid praeterea eius Sanctitas, citra suum magnum incommodum, praestare nobis possit in subsidium regni nostri, et praesertim quid ad lites et turbas ecclesiasticorum tollendas conducere videretur, ex quibus magna pars malorum in ecclesias redundant, id eius Sanctitas concedere dignaretur, ita tamen ut illud, quicquid esset, nobis prius ad expendendum et elargendum deferret.

Aget postremo V.ra Paternitas apud ipsum Ss.mum Dominum Nostrum, ut illius Sanctitas operam suam facere velit, et quidem citra moram, de reducendis in concordiam, cum aliis principibus christianis, tum potissimum Ungariae et Bohemiae reges⁵⁹, inter quos si ad arma ventum fuerit, regnoque Ungariae, alioquin satis calamitoso, vis inferre videbitur, omnino sese Turco subiciet. Unde quanta ruina instaret, non nobis solum vicinis, sed universae christianitati, eius Sanctitas facile cognoscere potest. Agimus quidem magna cura et impendio de ipsa concordia apud utrumque, sed veremur ut soli

⁵⁷ Laurentius Pucci. Cfr. infra, N. 32, annotationem 60.

⁵⁸ Documentum huius donationis non inventur. Iam a. 1522 rex conformatiōnem huius gratiae ab Hadriano VI petebat, v. Kolankowski SP, p. 323.

⁵⁹ Post cladem Mohacensem regisque Ludovici II mortem (29 VIII 1526), regna Hungariae et Bohemiae divisa sunt. Hungari elegerunt sibi 10 XI 1526 in regem Ioannem Zápolya (1487-1540), regnum vero Bohemiae, vi pactorum anni 1515 cessit Ferdinando Habsburg, archiduci Austriae, qui agnitus est a statibus Bohemiae 23 X 1526.

id ⁱ⁾ perficere possimus absque adiutorio illius Sanctitatis et aliorum^{j)} principum christianorum et proinde ut in eo negotio illius Sanctitas operam suam ⁱ⁾ maturare velit, ne interim regnum Ungariae in potestatem Turcae veniret^{j).}

- a) *Adscriptum supra pro verbo penitus expuncto.*
- b) *Sequitur expunctum: quicquam*
- c-c) *Adscriptum supra pro expuncto: S. 40r*
- d) *Sequitur expunctum: eius Sanctitati*
- e) *Suprascriptum pro expuncto: aliquomodo*
- f) *Sequitur verbum penitus expunctum.*

- g-g) *Adscriptum in margine pro expuncto in textu: concederet*
- h-h) *Adscriptum in margine.*
- i-i) *Adscriptum, partim in textu, partim in margine, pro expuncto: tamen*
- j-j) *Adscriptum in chartula a parte.*

N. 32.

**Sigismundus I, rex Poloniae
Clementi VII, pontifici maximo**

[Cracoviae, circa 1 IV 1527].

Epum Scarensem (Cito), ad eum redeuntem, et negotia, quae ipsi commisit una cum card. protectore tractanda, commendat.

Cop.: Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 655. In margine: "Commendaticia Epi Scarensis, Legati Apostolici".

Summo Pontifici

Sanctissime etc. Ago immensas gratias V.rae Sanctitati, quod hunc Reverendum D.num Epum Scarensem, virum prudentem et expertum, mittere dignata sit in has oras ad mea potissimum negotia procuranda, in quibus quia sedulam et fidelem operam praestitit, eum V.rae Sanctitati ex animo commendando, supplicoque, ut illi hos eius labores sua benificentia rependere dignetur.

Postulavi autem ab illo, ut unacum Rev.mo D.no Cardinali Sanctorum Quattuor, protectore Regni mei⁶⁰, exponeret V.rae Sanctitati statum et angustias meas et subditorum meorum, supplicaretque meo nomine V.rae Sanctitati pro nonnullis gratiis, quas ipse referret⁶¹. Oro itaque V.ram Sanctitatem

⁶⁰ Laurentius Pucci.

⁶¹ Vide supra, N. 31. In epistula ad card. protectorem rex commendat negotia, de quibus Cito apud pontificem tractabit, et addit: "Et quia idem d.nus epus Scarensis bene se hic apud nos gessit, eaque

humilibus precibus meis, ut illi fidem adhibere et postulatis meis benigne annuere dignetur. Quo faciet rem clementia sua dignam, reique christianaee conducibilem. Dominus Deus servet Sanctitatem V.ram diutissime sospitem et felicem. Cui me iterum Regnumque et dominia mea humiliter commendabo. Datum [...].

N. 33.

**Ioannes Franciscus Cito
Sigismundo I, regi Poloniae**

Venetiis, 29 V 1527.

Describit Romae depraedationem et crudelitates ab exercitu imperatoris patratas. Affert nova de exercitu Gallico in auxilium summo pontifici in Italiam misso. Excusat se, quod rebus ita se habentibus, commissa eius exequi non potuit.

Or.: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 7 f. 120r-v (n. 782). In margine ad caput textus alia manu: "R[egistra]ta". In f. 121v inscriptio et sigillum.

- **Cop. coaeva:** Kraków, BJ, ms. 6550 f. 485r-486r.

- **Cop. XVII saec.:** Kórnik, BPAN, ms. 223 p. 340-342.

Ed.: Celichowski AT IX p. 105-107 (ex cod. olim Rogalinensi, cum mendis).

Ser.me Domine et excell.me Princeps.

Post manuum osculum sacrarum. Puto iamdudum ex frequentioribus meis scriptis et aliorum relatione ad aures Sacrae Regiae Maiestatis V.rae Romanæ Urbis excidium perlatum fuisse⁶². Cupidus enim Ss.mus Dominus Noster christianaee pacis, ut nihil omitteret, quod ad verum Christi vicarium pertineret, quamquam victor, cum Caesare foedus percussit, atque Aquilam, Aprutii metropolim, et Salernum, insignem in Regno Neapolitano civitatem, quas acceperant milites sui, Caesari restituit, armaque depositit et universum exercitum dimisit, credens se omnino Caesaris fidei⁶³. Rebus igitur com-

omnia, quae ad nostram cum Duce Moscoviae concordiam attinent, diligenter simul et cordate tractavit, commendamus illum V.rae Rev.mae Dominationi et rogamus illam, iuvare illum velit favore et patrocinio suo in rebus et negotiis ipsius" (cop. sine dato, Warszawa, AGAD, Sucha 22/32 p. 659 cum annotatione: "Cricius dictavit").

⁶² Litterae nuntii desiderantur.

⁶³ Agitur potius de induitiis, quas summus pontifex conclusit cum vice-rege Neapolitano, Carolo de Lannoy, 15/16 III 1527, quibus innixus, dictas civitates restituit et exercitum magna ex parte dimisit (Pastor SP IV/2, p. 241-242).

positis atque foedere iureiurando firmato, Hispanus miles, adiunctis Germanicis copiis, quae dudum per Italiam vagabantur, VI Maii, omnino pacis et concordiae foederis, per Caesarem cum Ss.mo Domino Nostro percussi, oblii, Romam hostiliter invaserunt, ibique ea, quae nulla unquam antea narravit historia, ita crudelissime exercuerunt, ut crudelius a quoquam neque scribi, neque excogitari potuissent.

In quo conflictu Dux Borbonius interiit, gloriosiore certe nece quam sua impietas merebatur⁶⁴. Prophanata enim tempa, adeo ut sacer locus non sit, seu minimum sacellum, quod non in stabulum sit immutatum. Homines religiosi unacum innocentibus pueris imperfecti. Prostituta Sanctionialium monasteria sacrosancta. Infirmi ex hospitalibus in Tyberim proiecti. Sanctorum reliquiae auro, argento et lapidibus preciosis spoliatae. Neque beatissimorum Petri et Pauli Apostolorum capitibus, seu Veronicae (quem vocant) Vultui Sancto est parcitum⁶⁵, neque (quod omnium nephantissimum est) venerabili Eucharistiae Sacramento, Corpori Domini Servatoris. Est enim (quod aures abhorrent audire) in terram proiectum et pedibus conculcatum. Aurum ablatum, omniaque contaminata et conspurcata adeo, ut ex celeberrimo mundi loco factum sit stabulum equorum. Campanae silent. Divina intermittuntur officia. Organa confacta. Praelati (si qui inventi sunt) nudis pedibus ante Hyspanos [sic] et id genus homines, eorum tectis infulis et equis insidentes, servitoris officium exercendo, in magnum religionis dedecus, inambulare coacti sunt. Ss.mus vero Dominus Noster, una cum Rev.mis Cardinalibus, in castrum Sancti Angeli se recepit, cum quibusdam Italicis capitaneis, videlicet Laurentio Cerri et Horatio Baglioni⁶⁶, ibidemque Sanctitatem suam vigesima quinta eiusdem mensis auditur frustra oppugnatum fuisse; quinimmo, parva pontifica manu quatuor machinas ab Hispano milite ablatas, multos quoque cesos.

Quis non doleret? Quis non summo cum fletu contemplaretur tam celebrem Urbem adeo fuisse devastatam, adeoque cecidisse religionem? Quid nunc Moscovitae, quid Tartari, [120v] quid Turcae dicant, cum manifestum sit totius Christianitatis caput a Christianis oppugnari et vim pati? Sed quid futurum sit, latet in fatis.

Haec scripsi, non ut christianissimum Sacratissimae Regiae Maiestatis V.rae pectus, quod pietatis plenum semper fuit, novi doloris commemoratione per amplius exulcerarem, nam potius lachrimoso silentio involvenda fuisse. Sed quia servus sum Sacratissimae Regiae Maiestatis V.rae, nolui, quamvis non sine summo dolore, obticere ea, quae ex officio et religionis amore manifestare compellor. Quae etsi tacere conarer, propalant equidem

⁶⁴ Carolus de Bourbon occisus est ipsa die 6 V 1527, dum incursum contra Civitatem Leoninam conducebat (v. particularitates eius mortis apud Pastor SP IV/2 p. 255).

⁶⁵ Velum S. Veronicæ, quod custodiebatur in basilica S. Petri, scissum in partes, in diversoriis vendebatur (ibidem, p. 264).

⁶⁶ Horatius Baglioni (1493-1528), exercitus pontificii capitaneus generalis, Laurentio de' Ceri adiuvante.

innoxii sanguinis fusi innumerabiles querulaeque voces, quae absque intermissione clama[n]t ad Deum de terra.

In rebus vero Sacratissimae Regiae Maiestatis V.rae, si illud non est actum, quod commissum fuit et sperabatur, mirandum haud quicquam est. Videt enim Sacratissima Regia Maiestas V.ra quale sit oppositum impedimentum. Dabit tamen (ut sperandum est) DEUS OPTIMUS MAXIMUS his quoque malis felicem exitum. Interim faciet Sacratissima Regia Maiestas V.ra rem liberalitate sua dignissimam, si mihi in omnibus rebus tanquam mancipio semper imperabit suo.

Antequam autem Venetias venissem, quo quindecima huius applicui, nihil harum rerum certi habere potui. Quinimo, omnia ad me perferebantur subobscura. Alias celerius significassem Sacratissimae Regiae Maiestati V.rae. Fertur autem fama constantissima viginti millia peditum et quingenitos cathaphractos, a Christianissimo Galliarum rege destinata, in Italiam intrasse, Pontifici et labenti religioni suppetias latura. Ego vero tam diu Venetiis immorari compellor (quamquam cum summa rerum mearum iactura et immodico sumptu), quamdui aliquam harum rerum faciem conspicere datum fuerit. In universa autem Italia summa est annonae caritas, maiorque reformidatur futura. Pluviae enim ita frequentes sunt et tam magnae, ut aestas in hyemem videatur immutata, et coeli ipsi religionis miseriam defle re sese praeseferant. Ager enim Mantuanus et Ferrarensis ab irrumpente Pado, fluviorum maximo, pene est totus submersus. Oscular demum manus Sacratissimae Regiae Maiestatis V.rae. Cui me tanquam mancipium deditissimum humiliter et saepius commendo. Ex Venetiis, XXIX Maii, Anno MDXXVII.

E[iusdem] Sacratissimae Regiae Maiestatis V.rae

(^a-fidele mancipium
Ioannes Franciscus, epus Scarensis^{-a)}

^{a-a)} Autographum.

N. 34.

**Ioannes Franciscus Cito
Sigismundo I, regi Poloniae**

Venetiis, 23 VIII 1527.

Venetiis morari coactus, ultimos eventus bellicos in Italia describit et notum facit se ad Picenum mox profecturum esse, ordine summi pontificis, qui etiam eum ecclesiae Puteolanae praefecit.

- Or.**: Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 7 f. 150r-v (n. 797). In f. 151v inscriptio et vestigia sigilli. Ad caput textus manu Stanislai Górska: "Papa captus. Roma vastata", et in margine eadem manu: "1527. 23 Augusti. R[egistra]ta".
Cop. coeva: Kraków, BJ, ms. 6550 f. 486r-487r.
Ed.: Celichowski AT IX p. 133-134 (ex cod. olim Rogalinensi).

Ser.me et invictissime Rex.

Post manuum osculum sacrarum. Ex litteris, quas iam dudum Sacratisimae Regiae Maiestati V.rae miseram, arbitror eam satis de Romanae Urbis excidio, Ecclesiaeque calamitate intellexisse⁶⁷, atque nunc eadem repetere supervacaneum censeo. Ego vero in hanc usque horam hic immoratus sum, propediem Picaenum petiturus, quemadmodum Ss.mus Dominus Noster per litteras suas mihi mandavit⁶⁸, ibidemque immorabor donec Sanctitas sua me, una cum oratoribus Moscoviae Ducas, ad se vocaverit.

In Italia vero, quid nunc agatur, si scire cupit Sacratissima Regia Maiestas V.ra, Hyspanus miles, qui una cum Germanicis copiis Romam vastaverat, magna parte peste interemptus, nam ex vigintiquattuor millibus, qui Urbem intraverant, plus minus octo exiere atque Narniae, Interamnis et Tuderti nunc se continent. Galli autem potente manu Italianam ingressi sunt; qui nuper, adjuncto sibi Venetorum exercitu, Ianuam ceperunt, una cum classe Caesarea (quae potentissima ibidem fuerat), nam eam partim diripuerunt, partim in potestatem suam adegerunt⁶⁹. Mediolani paucos Caesareos esse intelligo. Timentur ubique bella. Ss.mus autem Dominus Noster, sub quibusdam conditionibus, Caesareis se dedidit, atque Parmam, Placentiam, Ostiam et Centumcellas civitates dedit⁷⁰. Ipsique Ostiam et Centumcellas iam acceperunt; Parma et Placentia modum receptae sunt. Dicitur Sanctitatem suam nullam molestiam pati, certumque est eam omnia, quae ad Pontificem pertinent, ut antea, exercere et a paucis Caesareis custodiri. Speratur Sanctitatem suam statim liberam fore, nam dicitur a quibusdam Ss.mi Domini Nostri captivitatem Imperatori summe displicuisse atque nolle [sic]. Auditur Hyspanum militem Neapolim se recepturum. Faxit DEUS OPTIMUS MAXIMUS, ut, rata pace inter principes Christianos habita, saevissimus Christiani nominis hostis, Thurcus, decrescat et deleatur.

⁶⁷ Cfr. supra, N. 33.

⁶⁸ Non inveniuntur.

⁶⁹ De hac expeditione bellica capitanei exercitus Gallici Odeti de Foix, vicecomitis de Lautrec, et occupatione Genuae ab exercitu Caesaris Fregoso, 19 VIII 1527, v. etiam informationes a Christophoro Szydłowiecki ad Albertum, ducem in Prussia, diebus 11 VIII et 3 XI 1527 missas (ed. Lanckorońska DARP IV, p. 88 et 99).

⁷⁰ Conditiones deditonis, quae 5 VI 1527 facta erat, praevidebant traditionem imperialibus arcium S. Angeli, Ostiae, Centumcellarum (Civitavecchia) et Civitatis Castellanae ac civitatum Placentiae, Parmae et Mutinae necnon certae pecuniarum summae. Clemens VII in ipsa arce S. Angeli remansit detenus.

[150v] De meis autem rebus nolle latere Sacratissimam Regiam Maiestatem V.ram, quod Ss.mus Dominus Noster, ut est clementissimus, inter omnes angustias mei immemor non exstitit, nam Puteolanae Ecclesiae, nuper vacanti, me praefecit⁷¹. Quod tanto gratius est, quod Sanctitati suae, me absente adhuc diligentiam meam perspectam fuisse intelligo. Omne vero, quod a Ser.ma Regia Maiestate V.ra mihi iniunctum est, quam primum clementissimos oculos Sanctitatis suae intueri licuerit, exequar diligentissime⁷². Id quoque non omittendum arbitror, Imperatorem Maritimum dominii Venetorum (quem generalem vocant) magna classe, navium scilicet et triremium non modico numero Venetias exivisse, summo certe fastu et maxima pompa. Et quantum coniicere possum et tectius intelligere, Apuliam atque Siciliam invasurum⁷³. Osculor demum manus etc. Ex Venetiis, XXIII Augusti MDXXVII.

E[iusdem] Sacratissimae Regiae Maiestatis V.rae

(a-fidele mancipium
Ioannes Franciscus, Epus Scarensis
et Puteolanus^{a)}

a-a) *Autographum.*

N. 35.

Sigismundus I, rex Poloniae
Clementi VII, pontifici maximo.

Radomiae, 3 XI 1527.

De excidio Urbis condolet et Petrum de Gamratis, ut sacerdotia, quae possidebat eius frater Nicolaus, Romae occisus, obtinere possit, commendat.

Or.: AV, Lett. di Principi 4 f. 220r. In f. 222v inscriptio, sigillum et alia manu:
"D[omine] Blosi, Sanctissimus mandat fieri responsum his litteris".
- Ed.: Theiner VMPL II, p. 454.

Ss.mo in Christo Patri et Domino, D.no Clementi VII, divina providentia Sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae Summo Pontifici, D.no cle-

⁷¹ Vide Introductionem.

⁷² Vide supra, N. 31.

⁷³ De hac classe, cui praerat Petrus Lando († 1545), "Capitano General del Mare" (postea dux Venetiarum ab a. 1539), v. Sanudo XLV, col. 521, 574, 600.

mentissimo, Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, filiale oboedientiam et sui commendationem.

Beatissime Pater. Post oscula pedum beatorum Sanctitatis V.rae. Cum primum infelicem Urbis Romanae cladem intellexisse, scripsi V.rae Sanctitati quanto me dolore affecerit ista Sanctitatis V.rae perturbatio, et, si quid pro illa possem praestare, obtuli omnem operam et facultates meas⁷⁴. Et quia nullum hactenus responsum habui, neque a Rev.mo D.no Cardinali Sanctorum Quatuor, Regni mei Protectore, cui idem paene scripseram⁷⁵, neque plane scire possum, quo in statu sit V.ra Sanctitas et Urbs Roma, de quo desidero fieri certior. Et cupio ex corde, ut V.rae Sanctitati feliciter in omnibus succedat. Quae sibi persuadeat, me nihil posse, quod pro honore proque vita V.rae Sanctitatis non possem.

Caeterum intellexi in ista Urbis turbulentia Ven.lem Nicolaum de Gamrathis, secretarium meum, mortuum esse, supplico V.rae Sanctitati pro ipsius fratre germano, servitore meo⁷⁶, dignetur ei sacerdotia sic vaccantia [sic] conferre, ut disponere videtur bulla Sanctitatis V.rae, per quam debentur beneficia istic decedentium proximioribus⁷⁷. Quod Sanctitatem V.ra, non dubito facturam mearum precium intuitu. Et cupio, ut D.nus Deus servet V.ram Sanctitatem felicem et in columem. Cuius amplitudini me et Regnum meum commendo.

Datum in op[er]a Radom, tertia Novembris, Anno Domini MDXXVII⁷⁸.

(a-Sigismundus Rex
Poloniae manu propria subscriptis-a)

a-a) *Autographum.*

⁷⁴ Epistula haec non invenitur.

⁷⁵ Etiam haec epistula regis ad card. Laurentium Pucci desideratur.

⁷⁶ Petrus Gamrat (1487-1545), servitor reginae Bonae, postea epus Cracoviensis (ab a. 1538) et Gnesnensis (ab a. 1541). Eius frater Nicolaus, decanus Plocensis, olim servitor Erasmi Ciołek, post ipsum mortem (1522) negotiorum regis Poloniae Romae curam habebat (cfr. Celichowski AT IX, p. 46).

⁷⁷ Bullam Clementis VII de hac re tractantem reperire non potui.

⁷⁸ Fere eiusdem tenoris litteras, Italico idiomate scriptas, dedit ad summum pontificem etiam regina Bona, Radomiae 4 XI 1527 datas (or. AV, Lett. di Principi 4 f. 225r). Litterae vero regis in commendationem Ioannis Francisci Cito, ad cardinalalem protectorem et ad collegium cardinalium datae, editae sunt (sine dato) a Celichowski in AT IX, p. 100-101.